



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Bambergense De Controversiis Qvibvsdam Episcoporvm
celebratum anno MXI. tempore Sergii papae IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

potuit, caute interrogauit qualiter quotidianum Dei seruitium ab eis imploretur, & qualiter populus illis subiectus ex eis regetur in studio prædicandi, docendique, quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur & ungerentur, defunctorum etiam corpora quanta compassione sepulchris traderentur, qualiter de decimis & oblationibus fidelium pauperes recrearentur, viduis & orphanis in vniuersis necessitatibus subuenirent, quantoque studio in hospitibus & aduenis Christo ministrarent: si subintroductas mulieres secum habuissent, & inde crimen suspicionis inciderent: si cum canibus vel accipitribus venationes sequerentur, si tabernas causa edendi vel bibendi ingrederentur, si turpes iocos in vsu haberent, si ebrietates & comessationes supra modum amarent, si rixis & contentionibus & emulationibus deseruirent, si nuptiis secularibus interessent, vel si aliqui eorum ministeria indecentia in consuetudine haberent, si per Kalendas more antecessorum suorum ad loca statuta conuenirent, ibique solitas orationes explerent, suasque ecclesias ad tempus reuiferent, si obedientiam eorum magistris præbuisent, & in toto suo ministerio deuoti & apti manere studuisent. Cum pleræque harum interrogationum constitutionibus respondeant, tempus præterea locusque conueniat, profecto nihil verat vni eidem sancto Vdalrico constitutiones & interrogationes tribuere.

NOTA SEVERINI BINII.

^a *Sermo synodalis.*] Amice lector, hunc sermonem synodalem post primam editionem Conciliorum secundæ inferendum misit ad me amplissimus dominus Marcus Velferus piæ memoriæ, quondam inclytæ reipublicæ Augustanæ duumvir, sequens prisca æui monumentum, vna cum coniectura de auctore: operæ precium facturum me putauit, vt latentem sermonem omnibus pastoralibus, Synodis celebrandis utilissimum, e tenebris erutum in lucem emitterem. Quod ecclesiasticæ disciplinæ faustum sit, eritque vt spero. Si qui in sortem ac ministerium Domini coaptati sunt, hæc tam salutaria monita in intimas medullas demittant, vt ad eorum præscriptum vitam, mores & actiones suas conformare studeant. Cum incertum sit quoto anno ab Vdalrico habitus fuerit, præfixum initio scripti libri annum retinendum esse iudicaui.

ANNO
CHRISTI
1011.

CONCILIVM BAMBERGENSE
DE CONTROVERSIIS QVIBVSDAM EPISCOPORVM
celebratum anno M XI. tempore Sergii papæ IV.

NOTA.

^a *Concilium.*] Cum Henricus rex ad dedicationem basilicæ Bambergensis a se constructæ Coetum plusquam triginta episcoporum conuocasset, ab iisdem ista occasione hoc loco congregatis habita est
Ll iij

Causa Con-
cilii.

Synodus, in qua sedatæ sunt controuersiæ illæ inter episcopos, de quibus Ditmarus Mersepurgensis episcopus, qui eidem Synodo præfens interfuit, hæc scribit: *Post hæc Synodus hic fuit magna, in qua Gebehardus Ratisponensis ecclesiæ præsul ab archiepiscopo suimet arguitur, & Metensis ecclesiæ præsul Theodoricus a rege increpatur, eo quod epistola suimet hunc iniuste apud papam accusaret. Hæc omnia & multa alia consilio prudenti finita sunt, & restitutio parochia tunc promissa est mihi. Idem Ditmarus fatetur se pro recuperandis suæ parochiæ bonis Synodo huic libellum dedisse, atque Theodorico Metensi episcopo ab omnibus in Synodo præsentibus interdictum esse, vt ante purificationem Missam non caneret. Vide Baronium anno 1011. num. 1.*

Acta Concilii.

ANNO CHRISTI 1011.

LEGES ECCLESIASTICÆ

CIRCA ANNUM CHRISTI 1011.

ÆTHELREDI REGIS CIRCA ANNUM MXII. apud Habam conditæ, quarum quatuor partes habentur in Iornalensi manuscripto. Tres priores nihil conferunt in rem ecclesiæ, quartæ vero sunt hæc capitula.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------|
| I. De denario sanctæ ecclesiæ dando, & de decimatione thaynorum. | IV. De consuetudinibus sanctæ Dei ecclesiæ reddendis. |
| II. De ieiunio & feriatione trium dierum ante festum sancti Michaelis. | V. Ne quis vendatur extra patriam. |
| III. Quid regi & populo omni die sit cantandum. | VI. De roboria. |
| | VII. De eleemosynis & reëctitudinibus ecclesiæ. |

HÆC INSTITVERVNT REX ÆTHELREDVS & sapientes eius apud Habam.

CAPITVLA.

I.

IN primis, vt vnus Deus super omnia diligatur & honoretur, & vt omnes regi suo pareant, sicut antecessores sui melius fecerunt, & cum eo pariter defendant regnum suum. Et constituerunt in primis Dei misericordiam & auxilium inuocare ieiuniis, eleemosynis, confessione & abstinentia, & malefactis & iniustitia abstinere. Et vt detur de omni carruca denarius, vel denarium valens, & omnis qui familiam habet, efficiat vt omnis hirmannus suus det vnum denarium. Quod si non habeat, det domi-